sui. Accusauitque fratres suos apud patrem
crimine pessimo. Israel autem diligebat
ioseph super omnes filios suos: eo quod in
senectute genuisset eum. fecitque ei tuni
cam polimitam. Videntes autem fratres eius
quod a patre cunctis filiis plus amaretur.
oderant eum. nec poterant ei quicquam
pacifice loqui. Accidit quoque ut uisum
somnium referret fratribus suis: que cau
sa maioris odii seminarium fuit. Dixitque
ad eos. Audite somnium meum quod
uidi. Putabam ligare nos manipulos
in agro. et quasi consurgere meum ma
nipulum et stare. uestrosque manipulos
circumstantes adorare manipulum me
um. Responderunt fratres eius. Numquid
rex noster eris. aut subiciemur dicioni tue.
h Hec ergo causa somniorum atque sermonum.
inuidie et odii fomitem ministrauit. Ali
ud quoque uidit somnium: quod narrans
fratribus ait. Vidi per somnium quasi solem
et lunam et stellas undecim adorare me.
Quod cum patri suo et fratribus suis retuli
sset: increpauit eum pater et dixit. Quid
sibi uult hoc somnium quod uidisti.
Num ego et mater tua et fratres tui ado
rabimus te super terram. Inuidebant igitur
ei fratres sui: pater uero rem tacitus
considerabat. Cumque fratres illius in pascendis
gregibus patris morarentur in sychem.
dixit ad eum israel. Fratres tui pascunt
oues in sychimis: ueni mittam te ad eos.
Quo respondente presto sum. ait. Vade
et uide si cuncta prospera sint erga fratres tuos
et pecora: et renuntia michi quid aga
tur. Missus de ualle ebron: uenit in sychem;
inuenitque eum uir errantem in agro.
et interrogauit quid quereret. At ille.
respondit. Fratres meos quero. indica

michi ubi pascunt greges. Dixitque ei uir.
Recesserunt de loco isto. Audiui autem eos
dicentes: eamus in dothaim. lxvii
Perrexit ergo ioseph post Ca. i
fratres suos: et inuenit eos in dothaym.
Qui cum uidissent eum procul antequam
accederet ad eos. cogitauerunt illum occi
dere. et mutuo loquebantur. Ecce somni
ator uenit. uenite occidamus eum. et mitta
mus eum in cisternam ueterem: dicemusque fera
pessima deuorauit eum. et tunc appare
bit quid illi prosint somnia sua. Audi lxvii
ens hoc ruben nitebatur liberare eum de
manibus eorum: et dicebat. Non interficiamus
animam eius. nec effundamus sanguinem:
sed proicite eum in cisternam hanc que est in
solitudine. manusque uestras non polluantur.
Hoc autem dicebat uolens eripere eum de manu
bus eorum: et reddere patri suo. Confestim igitur
ut peruenit ad fratres suos: nudauerunt eum tu
nica talari. et polimita. Miseruntque in cister
nam que non habebat aquam. Et sedentes
ut comederent panem. uiderunt uiatores
hysmahelitas uenire de galaad. et camelos
eorum portantes aromata et resinam. et stac
ten in egiptum. Dixit ergo iudas fratribus
suis. Quid nobis prodest si occiderimus
fratrem nostrum et celauerimus sanguinem ipsius.
melius est ut uenundetur hysmahelitis.
et manus nostre non polluantur. caro enim et
frater noster est. Adquieuerunt fratres sermonibus
eius: et pretereuntibus madianitis negotia
toribus extrahentes eum de cisterna uendide
runt hysmahelitis. uiginti argenteis. Qui
duxerunt eum in egiptum. Reuersusque
ruben ad puteum et non inuenit puerum.
scissisque uestibus pergens ad fratres ait. Puer non
comparet. et ego quo ibo. Tulerunt au
tem tunicam eius. et in sanguine hedi quem

occiderant tinxerunt: mittentes qui fer-
rent ad patrem et dicerent. Hanc inveni-
mus tunicam: vide utrum tunica filii tui
sit an non. Quam cum agnovisset pater
ait. Tunica filii mei est. Fera pessima de-
voravit filium meum: bestia comedit ioseph.
Scissisque vestibus indutus est cilicio. lu-
gens filium multo tempore. Congregatis
autem cunctis liberis eius ut lenirent do-
lorem patris: noluit consolationem re-
cipere et ait. Descendam ad filium meum
lugens in infernum. Et illo perseverante
in fletu: madianite vendiderunt in
egyptum ioseph putifar eunucho pha-
raonis magistro militie. L.xxviii

Eo tempore descendens iudas a fratribus
suis divertit ad virum odolamitem
nomine hyram: viditque ibi filiam homi-
nis chananei vocabulo sue. Qua uxore
accepta: ingressus est ad eam. Que conce-
pit et peperit filium: vocavitque nomen
eius her. Rursum concepto fetu natum
filium vocavit onan. Tercium quoque
peperit quem appellavit sela. Quo nato
ultra parere cessavit. Dedit autem iudas
uxorem primogenito suo her: nomine
thamar. Fuit quoque her primogenitus
iude nequam in conspectu domini: et
ab eo occisus est. Dixit ergo iudas ad onan
suum. Ingredere ad uxorem fratris tui
et sociare illi: ut suscites semen fratri
tuo. Ille autem sciens non sibi nasci filios:
introiens ad uxorem fratris sui semen fun-
debat in terram: ne liberi fratris nomine
nascerentur. Et idcirco percussit eum
dominus quod rem detestabilem faceret, quam-
obrem dixit iudas thamar nurui sue.
Esto vidua in domo patris tui donec cres-
cat sela filius meus. Timebat enim ne
et ipse moreretur sicut fratres eius.
Que abiit et habitavit in domo patris
sui. Evolutis autem multis diebus:
mortua est filia sue uxor iude. Qui post luc-
tum consolatione suscepta: Ascendebat
ad tonsores ovium suarum ipse
et hyras opilio gregis odolamita
in thamnas. Nunciatumque est thamar
quod socer illius ascenderet in thamnas
ad tondendas oves. Que depositis vidu-
itatis vestibus assumpsit theristrum, et
mutato habitu sedit in bivio itineris
quod ducit thamnam: eo quod crevis-
set sela et non eum accepisset maritum.
Quam cum vidisset iudas suspicatus
est esse meretricem. Operuerat enim vul-
tum suum ne agnosceretur. Ingrediens-
que ad eam ait. Dimitte me ut coeam
tecum. Nesciebat enim quod nurus
sua esset. Qua respondente. Quid
michi dabis ut fruaris concubitu meo?
Dixit. Mittam tibi hedum de gregibus.
Rursumque illa dicente patiar quod vul-
tis si dederis michi arrabonem donec mit-
tas quod polliceris. Ait iudas. Quid vis tibi
pro arrabone dari? Respondit.
Anulum tuum et armillam et bacu-
lum tuum quem manu tenes. Ad unum
igitur coitum concepit mulier: et sur-
gens abiit; depositoque habitu quem
assumpserat: induta est viduitatis ves-
tibus. Misit autem iudas hedum per
pastorem suum odolamitem: ut reciperet
pignus quod dederat mulieri. Qui
cum non invenisset eam: interrogavit
homines loci illius. Ubi est mulier
que sedebat in bivio? Respondentibus
cunctis non fuit in loco isto meretrix:
Reversus est ad iudam et dixit ei.